

## DUBIUM V.

*Utrum possit quis malè uti virtute.*

**O**ccasione declarandi radicis essentialis virtutis hoc, sicut dubium præcedens excitamus. Ad cuius enodationem, & similiter elucidationem præcipue diffinitionis virtutis opus est aliqua præcipere, & cum distinctione procedere. Unde sit:

## §. I.

*Notationes nonnullæ.*

45 **N**ota primò, inter diffinitiones, quæ de virtute circumferuntur, quales late congerunt N. Salmant. in præf. disp. 1. dub. 4. celebriorem esse illam, quam ex Parente August. tradit Angelicus Magister in præf. art. 4. per hæc verba: *Bona qualitas mentis, quæ rectè vivitur, & qua nullus male vititur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Cuius diffinitionis sufficientia clariùs innoscit (inquiant ibi Authores prædicti) si loco termini *qualitas* ponatur *habitus*, ut à Div. Thoma ponitur; eò quod habitus est genus proximum. Per eam igitur factis declaratur, in quo vel per quod virtus cum alijs conveniat, & in quo, vel per quod differat, & hoc quidem modo proprio accidentium, cuius conditionis est virtus; sed hoc, & non amplius requiritur ad rectitudinem bonæ diffinitionis, ut communiter docent Dialectici: ergo est sufficiens.

Maiores, in qua est difficultas, probatur exponeudo singula diffinitionis. Etenim *qualitas*, vel *habitus* ponitur loco generis, in quo virtus univocatur cum actibus, vel cum pluribus habitibus, qui virtutes non sunt (cum vitij præcisè univocatur in supremo genere qualitatis, ut supra notavimus; à quibus omnibus differt per ly *bona*. Similiter particula *mentis* virtutem separat à sanitate, pulchritudine, & similibus, quæ qualitates subieciuntur in corpore, siquidem *mentis* nomine veniunt hic intelligendæ potentia liberæ, & subiectæ rationi, quæ solæ possunt esse subiectæ virtutum, ut infra disp. sequenti amplius contabit.

Addeat etiam, *Qua rectè vivitur*, utique proximè. Ut innuatur, virtutem debere esse principium actus formaliter boni, non utrumque sed determinatè; & ideo signanter ponitur, *qua nemo male vititur*: ad declarandum discrimen intercedens inter virtutes morales ex una parte, & opinionem, & fidem humanam ex altera, quæ etiam pluries inclinent in actum bonum, seu verum, possunt ad falsum detorqueri, quod non accidit in virtute, ut constabit ex dicendis. Reliquæ particula, *quam Deus &c.* ponuntur

pro virtutibus supernaturalibus, de quibus erit sermo disp. 3. & propterea quasi, 1. de *Virtut.* art. 2. eas omittit D. Thomas; sine quibus convenit omni virtuti tam morali acquirere, quam intellectuali, tam theologice, quam infusæ: ergo in prædictis sufficienter declaratur genus, & differentia virtutum, ac proinde est bona. Compescunt N. Salmant. plures obiectiones contra prædicta insurgentes, ubi possunt videri (licet infra nonnullas adducemus) sicut, & reliquæ diffinitiones virtutis.

Vrgentior sanè est, quam præsertit titulus propositus, an videlicet sit virtuti essentialis concurrere ad bonum actum, & ad malum non concurrere, quod explicare videtur particula illa *qua nemo male vititur*. Certè intelligenda de usu formali; nam de obiectivo nulli est dubium posse virtutem applicari in malum, ut videri potest D. Thom. loco citato ad 5. Sic enim pluries abutimur Sacramentis, superbumus de donis supernaturalibus, quæ optima sunt, imò eò solet esse deterior eorum abusus, ut constat bit prospicienti.

46 **N**ota secundò, tria esse genera virtutum: nam aliæ sunt purè intellectuales: quæ perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem, sed non determinant ex se ad bonum usum, prout rectificat appetitum, ut intelligentia, scientia, & ars. Aliæ sunt morales, quæ perficiunt appetitum, & inclinant ad actum bonum, ut iustitia, fortitudo, temperantia: quibus adiungi debet prudentia, licet subieciatur in intellectu, quia convenit cum alijs virtutibus moralibus in hoc, quod est respicere rectitudinem appetitus, & bonum usum actus; cum sit regula omnium virtutum moralium. Aliæ tandem sunt theologice, quæ immediate versantur erga Deum velat circa proprium obiectum. Controversia proposita præcipue procedit de virtute morali acquisita; nam de charitate, & spe potius supponi debet, quam controverti: & de his virtutibus purè intellectualibus nonnulli dicemus inter disputandum.

47 **S**ed hæc possumus cum omni distinctione procedere, nisi notemus tertio, quòd triplex in hac materia potest fieri combinatio. Prima sic, quòd in actu virtuoso consideretur entitas physica, & modus moralitatis malæ in ea subieciatus; & sciscitatur, utrum virtus moralis causare queat, nedum entitatem physicam, verum & malitiam actus? Secunda est, quòd attendatur entitas actus affectæ moralitate bona, & simul moralitate mala; & inquiretur, utrum virtus producat entitatem, & moralitatem bonam, & etiam se extendat ad moralitatem malam? vel saltem permittat, ut in entitate, in qua bonitatem ponit, possit alia causa producere malitiam? Tertia potest formari sic; utrum virtus producens entitatem physicam actus, &

quatenus est in se moralitatem bonam, possit impediri, ne hanc vitiosè exequatur, per aliam causam loco illius bonitatis producentem malitiam?

Circa quos controversiam duplex versatur sententia. Prima est Caiet. in præf. art. 4. Lorca, & aliorum asserentium, actum à virtute elicium posse vitiosi ab aliquam circumstantiam pravam; & hoc modo virtus erit principium actus mali, non persè, sed per accidens. Secunda est communis Theologorum, asserentium virtutem nullo modo concurrere ad actum ex aliqua parte vitiosam. Quam duplici conclusione breviter explicabimus.

## §. II.

*Opinio communis Theologorum.*

48 **D**icendum est primò, virtutem moralem nullo modo posse producere persè malitiam formalem in actu. In hac asserente facile conveniunt Authores relati pro prima sententia, & ad hanc sensum explicant diffinitionem relata D. Augustini. Et suadetur facile, & breviter: Nam nulla causa transilire unquam potest limites sui specificativi formalis, maxime ad eos effectus, ad quos nequit à Deo virtus eius suppleri, aut ipsa elevari, quales sunt peccata, & moralitatis malæ; sed proprium, & adæquatam obiectum virtutis moralis est bonum sub ratione boni: ergo nequit persè tendere in obiectum malum sub ratione mali; sed in tale obiectum tenderet, si produceret persè malitiam formalem in actu, ut ex se liquet: ergo virtus moralis nullo modo potest persè producere malitiam formalem in actu.

49 **D**icendum est secundò, virtutem moralem non producere adhuc per accidens malitiam formalem in actu. Hæc asseritio determinatè procedit contra Authores relatos pro prima sententia. Pro cuius luce, nota cum Div. Thoma quasi, 3. de *Malo* art. 6. ad 6. duplicem esse causam peraccidens aliam, quæ verè, & proprie est causa, influitque verè in effectum: dicitur tamen *peraccidens*, quia effectus coniungitur per accidens effectui persè producto, & intento: qua ratione si quis effodiendo terram, inveniat thesaurum, dicitur causa *peraccidens* huius posterioris effectus, quia effectui persè intento coniuncta est per accidens inventio thesauri; sed verè in illius inventionem influit. Alia est, quæ improprie dicitur *causa*: quia nullum præstat influxum; accidit tamen ei, quæ vera est causa, & hoc modo si stannarius sit muscus potest dici, quòd muscus est causa peraccidens statuæ. Ex dictis pro prima conclusione satis constat, virtutem non esse causam peraccidens malitiam priori modo. Unde solum restat probanda in posteriori sensu,

50 **E**t probatur sic: nam virtus moralis solum potest esse causa per accidens malitiam, vel inquantum pro hac persè bonitatem moralem, & simul permittit, quòd alia causa producat malitiam, vel inquantum producit entitatem physicam actus, impediturque, ne producat bonitatem ab alia causa producente malitiam; sed neutro modo potest virtus concurrere ad actum malum: ergo nequit adhuc per accidens producere malitiam formalem in actu. Minor quoad primam partem probatur: nam idem actus nequit esse simul bonus, & malus moraliter, ut late ostendimus tract. præced. disp. 1. dub. 5. ergo nequit esse causa peraccidens, ita ut producat persè bonitatem moralem permittat, ut alia causa simul producat malitiam.

Quoad secundam partem etiam ostenditur: Tum, quia virtus non concurrat persè ad entitatem physicam actus virtuosi sumptam secundum se: ergo neque concurrat ad entitatem physicam actus mali. Consequentia est evidens. Et antecedens patet ex dictis num. 25. Tum etiam: nam virtus (sicut & vitium) tantum concurrat ad entitatem physicam reduplicativè, ut fundantem bonitatem moralem, quod idem est ac concurrere ad bonitatem moralem; sed virtus nequit producere bonitatem moralem, si est coniuncta cum malitia morali: ergo nequit villo modo concurrere ad entitatem physicam actus affectam malitia morali. Videantur dicta num. 26.

51 **A**dversus primam conclusionem nulla est opinio, nullumve argumentum, cui opus sit occursum iri. Adversus secundam possunt adduci omnia ea, quibus Adversarij contendunt posse federari bonitatem moralem, & malitiam in eodem actu; quibus satis occurrit tract. præced. disp. 1. dub. 5.

## DISPUTATIO II.

*De Subiecto immediato Virtutum.*

**N**ON leve dissidium est adhuc inter nostros Thomistas circa assignationem subiecti remoti virtutum moralium; plerique affirmantibus non posse in Angelis inveniri; alijs vero, de quorum numero sunt N. Salm. in hoc tract. disp. 2. dubio 4. docentibus, posse Angelos virtutibus exornari. Nos verò, brevitate consulentes, solum de subiecto proximo in hac disputatione sermonem instituumus cum Div. Thoma in præf. quasi. 56. quia satis constat ex dictis tract. 4. disp. 1. num. 28. tam Deum, quam Angelos esse subiectum virtutum, proportionem servata.

## DUBIUM I.

*Utrum intellectus humanus sit subiectum virtutum?*

**H**OC dubium in proprijs terminis movet Div. Thomas loco citato art. 3. postquam art. 1. efficaciter probat, immediatum subiectum virtutis moralis non esse substantiam animæ, sed potentias operativas: quia (inquit) omnis perfectio recipitur immediate in subiecto, cuius est perfectio immediata; sed virtus moralis, cum sit habitus operativus, vt potest dispositio perfecti ad optimum, id est, ad actum virtuosum, qui habet rationem optimi, vel finis, est perfectio potentie operative: ergo est in ea tanquam in subiecto immediato. E contra gratia habitualis non comprehenditur sub distinctione virtutis, quamvis sit qualitas, & habitus perfectissimus: quia, cum immediate recipiatur in substantia animæ, potius ordinatur ad dandum esse, quam ad operationem. Verum, cum in homine sint plures potentie satis diversæ, oritur difficultas, quæ ex illis possint virtutibus oriri.

Igitur de intellectu, & voluntate haud magna erit dubitandi ratio; cum ex dictis disp. præced. constet, virtutes illi potentie superaddi debere, quæ elevari possunt ad bonum rationis, cum virtus sit qualitas mentis, id est, potentie rationalis; hoc autem nullis potentijs alijus convenire potest, quam intellectui, & voluntati, quia sunt præcipue potentie rationales; & si aliæ potentie attingunt bonum rationis, est ob coniunctionem cum illis.

Verum licet hoc ita sit: quia tamen intellectus partiri potest saltem eminenter in practicum, & speculativum; & potest sumi secundum se, aut quatenus subditur dominio voluntatis: & similiter voluntas patiatur plures considerationes, quatenus se extendit ad plura bona satis diversa; est ratio dubitandi, an virtutes morales possint inveniri in his potentijs adæquate sumptis, sive secundum omnem formalitatem; an verò quoad aliquam præcisè, & propter determinatam obiecta? Circa intellectum erit sermo in præsentî dubio, & circa voluntatem in sequenti.

S. I.

*Verba sententia D. Thoma:*

**D**icendum est, intellectum sumptum secundum se esse subiectum virtutis secundum quid dicitur; vt autem movetur à voluntate esse subiectum virtutis simpliciter talis. Conclusio, quam eisdem verbis inferunt N. Salmant. ex art. 3. quæst. citatæ, probatur si-

mul, & explicatur: Advertendo, virtutem secundum quid illum habitum appellari, qui est elevat, & tribuat facultatem potentie ad actum sibi correspondentem, neque in alium possit erumpere, non tamen sollicitat, aut requirit rectum usum potentie, sed potest optime cum vasa sibi contrario salvari: v.g. Logica, vel Grammatica taliter elevat intellectum, vt sufficienter proportionent ad actus Logice, vel Grammaticæ eliciendos, neque intellectus ejs medijs potest opinari, aut barbarizare, sed si Grammaticus, aut Logicus noluerit, quoties materia occurrit, demonstrationem, aut rectam efficere locutionem, dummodò velit ita procedere, non desinet esse Grammaticus: siquidem Grammaticæ non adversatur quilibet barbara locutio, dummodò eam proferens talem esse cognoscatur, & possit eam corrigere, si velit. Idem dicendum est de vso Logicæ, & artis.

At virtus simpliciter illa est, quæ potentie præbet facultatem supra descriptam relatè ad proprium obiectum, eamque sollicitat ad rectum usum, quoties occurrerit materia, taliter quòd si omittatur eius usus, vel adhibeatur oppositus, operatio sit contra inclinationem virtutis, cum nedum præbeat facultatem attingendi regulam, sive proprium obiectum, verum habitualiter sollicitet, ne quis actualiter se unquam subrahatur à proprio obiecto occurrentes vt videre est in iustitia, & charitate, nedum potentias elevantibus ad amandum, & servandum ius alienum, sed quasi compellentibus, vt ita fiat, quoties suppetit occasio, aut præceptum urget.

**3** His suadetur conclusio. Ex primò quoad primam partem: nam intellectus secundum se sumptus, sive in ordine ad proprium obiectum capax est plurium habituum, v. g. scientie, artis &c. sed huiusmodi non sunt virtutes simpliciter: ergo intellectus secundum se sumptus est receptivus virtutis secundum quid talis. Maior videtur certa: quia intellectus ad verum scientificum, & artificiosum est satis defectibilis & improporionatus: ergo indiget elevari, & confortari ad huiusmodi obiecta in particulari attingenda illustratione potentie superioris, quod est esse habituum capacem. Minor verò suadetur: nam de ratione virtutis simpliciter talis est bonum consistere habentem, & elevare ipsum in obiectum improporionatum, habitualiterque cohibere, ne prorumpat in actum contrarium; sed habitus in maiori recentis, & alij similes, dummodò habilitent subiectum in propria obiecta, non curant, quòd, quoties voluerit, oppositum exequatur; nec similiter curant, ex suppositione, quod ex his operatio fiat, ordinatur, vel non in pravum finem: nam potest quis optime philosophare ob vanam gloriam, quod non accidit virtuti simpliciter: ergo non sunt virtutes simpliciter.

Hinc

## Dub. I. Utrum intellectus humanus sit subiectum virtutum?

329

**4** Hinc probatur etiam conclusio quoad secundam partem: nam intellectus, vt subditur voluntatis motui in ordine ad obiectum ipsius voluntatis, est receptivus plurium habituum; sed huiusmodi sunt virtutes simpliciter: ergo virtus simpliciter dicta recipi potest in intellectu subditio imperio, & motui voluntatis. Consequenter est legitima. Maior videtur certa quia virtus simpliciter talis ea est, quæ tendit in proprium obiectum ex affectu boni honesti: quo pacto obiecta peculiariter attingunt habitus intellectuales ortum ducentes ex voluntatis motione, vel connotatione rectitudinis ipsius. Maior probatur ex Div. Thoma art. citato dicente, quod in intellectu recipitur prudentia, & fides supernaturalis, quæ propria obiecta ita respiciunt, quatenus fides ex pia affectione voluntatis credentis movetur iuxta formam præscriptam à N. Salmant. tract. 14. disp. 3. dub. 3. & 4. & tract. 17. disp. 5. dub. 1. & 5. & prudentia similiter, cum sit recta ratio agibilibus, non potest villo pacto sibi præferere obiectum, nisi homo rectè se habeat ad finem (vtique per voluntatem, quæ sola valet finem sub ratione finis attingere) qui in ordine practico rationis est primum, & essentialiter principium: ergo vera est illa maior.

## S. II.

*Contrarij opinandi modus.*

**5** Contra primam partem conclusio- nis vix occurrit argumentum, quod facile non possit solvi explanatione nostre doctrine. ¶ Contra secundam, quatenus determinat, fidem supernaturalem esse virtutem simpliciter, sentit Conter, in præf. cuius placitum, quamvis ab ipso non probetur, potest frequentibus fulciri, quæ ex parte etiam militent contra prudentiam.

Arguitur ergo primò: Potest actus fidei esse malus moraliter ex aliqua circumstantia, vel pravo fine: ergo fides supernaturalis non est simpliciter virtus, & consequenter intellectus, prout illum recipit, non est subiectum virtutis simpliciter. Antecedens probatur in eo, qui ex vana gloria fide supernaturalem crederet. Et sicut ars, vel scientia, quia respiciunt verum, quod est obiectum intellectus, possunt detorqueri in malum, non est, cur fides supernaturalis, quæ, vt potest habitus simpliciter speculativus, verum formaliter etiam attingit, neque non ex pravo affectu credentis aliqua fadatur malitia.

Hoc argumentum, si est ad rem, propriam solutionem habet apud N. Salmant. locis supra relatis: ibi enim ex PP. & præcipue ex D. Thoma latissime ostendunt, actum fidei, vt potest supernaturalem, & essentialiter applicatum à pia affectione item supernaturalem, vel loco eius à

*Paul. Theol. Salm. Tom. II.*

charitate, ex nullo principio posse malitiam inducere, sed requirere determinatè honestatem. Quod fundamentum non militat in habitibus naturalibus speculativis in argumento adductis. *Maximè:* Quia fides supernaturalis non est habitus purè speculativus, sed eminenter practicus, vt colligitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 9. art. 3. in corpore. Vnde nec ex hoc capite affectio nostra labefactur.

**6** Arguitur secundò: Nam habitus intellectualis debet specificari ad obiecto formali intellectus, alias habitus extraheret potentiam à proprio obiecto extensivo, quod implicat; sed nullus habitus specificatus ab obiecto intellectus potest esse simpliciter virtus: ergo nullus habitus intellectualis est simpliciter virtus. Minor probatur: nam virtus simpliciter talis debet specificari ab obiecto bono & honesto; sed obiectum bonum, & honestum præcisè est attingibile à potentia appetitiva, secus autem ab apprehensiva, quæ solum specificatur à vero: ergo nullus habitus specificatus ab obiecto intellectus potest esse simpliciter virtus.

Nec obest dicere, habitus intellectuales specificari non posse ab obiectis honestis, nisi huiusmodi obiecta constituantur in esse talium à voluntate: qua constitutione supposita, verè specificantur ab obiectis potentibus tribuere virtutibus sufficientem bonitatem. Et hoc est, quod in nostra conclusione diximus dependere à voluntate. Nam si aliter acciperetur hæc dependentia, etiam conveniret scientie, & arti, quæ virtutes simpliciter non sunt: siquidem quoad sum, & applicationem etiam à voluntate dependent, nam institutum artificis, & similiter speculamur, quando volumus.

Non (inquam) obest: Nam per illam constitutionem, & dependentiam obiectorum à voluntate vel remanent intra lineam intellectivam; vel non? Si hoc vitium eligatur ergo nec habitus ea attingentes existunt in intellectu; sed in potentia illa, ad cuius obiectum pertinent. Si eligatur primum: ergo non erunt honesta, sed vera; ac proinde insufficientia conferre specificationem virtutibus simpliciter dictis.

Respondetur, admitendo solutionem inter arguendum datam, quæ optima est. Ad cuius impugnationem diluendam, eligimus, obiecta illa absolute manere intra lineam intellectus, sed gaudere sufficienti honestate ad specificandum virtutes simpliciter tales. Pro cuius luce est observandum, nos non admittere alias virtutes simpliciter tales in intellectu, quam fidem, & prudentiam cum eius comitibus Eubuliam, Sinesim, & Geomem. Obiectum fidei supernaturalis, cum sit verum invidens, & obscurum, non convincit intellectum, nec potest extorqueret assensum, nisi accedat motio voluntatis implendo illud obiectum vt actualiter moveat intellectum, & hoc fit per quamdam convenientiam,

*Xxx*

*tiam,*

tiam, & refusionem boni, quæ in eo consistit, quod fiat conveniens pia credentis voluntati obiectum oblectum; & hac ratione obiectum illius quid bonum est, & sufficiens ad specificandam virtutem essentialiter talem. Sed quia non amittit rationem veri licet invidentis, ex eo quod sit conforme pia voluntati credentis, propterea valet specificare habitum intellectualem.

Verunque non minus perspicue elucet in prudentia: quia eius actus præcipuus est imperium denuntians potentis per virtutes morales actuat, ut bonum, de quo cubilia consiliavit, & fines elegit, prosequantur: Et huiusmodi actus essentialiter est de ordine intellectivo, quia denuntiare, seu ordinare ad intellectum pertinet. Ex alia parte debet supponere potentias bene dispositas circa fines humanæ vitæ, qui sunt obiecta virtutum moralium residentium in appetitu, in ordine ad quos ipsa prudentia ordinat ipsum appetitum; & ad hoc dependet ex motione voluntatis, utpote ordinans ad eius obiectum, quod est bonum honestum; & ob connotationem ad illud habet sufficientem bonitatem, ut possit esse virtus simpliciter talis.

## DUBIUM II

*Verum voluntas sit subiectum virtutum in ordine ad bonum proprium?*

7 **S**upponimus, in voluntate residere virtutem in ordine ad bonum alienum, ac proinde in ea subiectioni iustitiam, & eius partes, tam subiectivas, quam potentiales (de quibus mentionem faciunt N. Salmant. in suo recte disposito Arbore virtutum §. 7. & tribus sequentibus) Quia iuxta D. Thomam voluntas, sicut quilibet alia potentia, indiget virtute superaddita ad attingendum prompte & facilitate bonum illud excedens proportionem illius; contra autem, quod bonum alienum excedit proportionem humanæ voluntatis, quia ratione suæ differentie individualis est determinata ad bonum proprium suppositi, iuxta illud *Amabile bonum, unicuique verò proprium*: ergo indiget virtute superaddita ad illud attingendum. Ex quo à fortiori liquet, indigere virtute ad attingendum bonum divinum, seu supernaturale, propter maiorem excessum. Difficultas ergo tantum est, an indigeat virtute superaddita ad attingendum bonum proprium, v. g. actus fortitudinis, temperantia &c.

Circa quam duplex ex diametro opposita extat sententia. Prima asserit, prædictas virtutes esse in voluntate. Ita D. Bonav. in 3. dist. 33. art. vñco. quæst. 2. Scotus ibidem quæst. vñca. quem sequuntur eius discipuli. Richard. ibi art. 1. quæst. 1. Gabriel in 3. dist. eadem quæst. 1. Valent. in præf. disto. 5. quæst. 2. punct. 2. & alij plures. Cum discrimine quodam inter eos;

quibusdam admittentibus, easdem virtutes secundum speciem residere in voluntate, & appetitu sensitivo; alijs asserentibus, virtutes voluntatis differre essentialiter à virtutibus appetitus; alijs tandem concedentibus in appetitu quosdam habitus, qui non assequuntur veram rationem virtutum. ¶ Secunda defendit, prædictas virtutes non recipi in voluntate tanquam in proprio subiecto, neque esse in ea circa passionem habitus, qui assequuntur veram rationem virtutis. Ita D. Thomas in præf. art. 6. & cum eo omnes eius discipuli, & plures extra eius Scholam. Cuius difficultatis nodus difficulter explicabitur, nisi via N. Salmant. disp. 2. dubio 3. gradiendo. Cum quibus sit.

## §. I.

*Sententia D. Thomæ.*

8 **D**icendum est, in voluntate humana non residere aliquem habitum virtutis ad attingendum bonum proprii suppositi. Et probatur ratione D. Thomæ loco proxime relato. Pro cuius luce observa primò, quod sicut intellectus potest considerari dupliciter, nimirum, in quantum est potentia physica proponens physicè, vel sub esse physico obiectum voluntatis; vel in quantum proponit illud moraliter, quo pacto habet rationem regulæ actuum moralium, ut affectus lumine synderesis, & exercet verè & propriè manus potentie superioris relatæ ad appetitum: Ita voluntas potest sumi dupliciter, vel quatenus est inclinatio in bonum physicum, ut propositum ab intellectu secundum priorem considerationem; ad quod attingendum non egere habitu satis constat ex dictis disp. præf. dub. 3. num. 25. vel quatenus est inclinatio in bonum morale, ut propositum ab intellectu secundum posteriorem considerationem, quo pacto importat aliquid superadditum, vel realiter, vel virtualiter, ratione cuius rectificatur, & completur in ratione principij actus honesti.

9 **O**bserva secundò, hoc superadditum, quod est quædam vigorositas, in qua consistit rectitudo voluntatis, & per quam elevatur ad attingendum bonum morale, provenire à natura rationali per dimanationem. Ad quod supponendum duo nos compellant. Primum, quia non raro contingit, quod potentia inferior per coniunctionem ad naturam superiorem forciatur per dimanationem ab ea vim ad actus, quos in se non continet, ut liquet in imaginatione hominis, quæ per dimanationem habet vim ad discurrendum, & iudicandum, quam non habet secundum se, idemque liquet in pluribus virtutibus instrumentarijs. Secundum, quia intellectus per dimanationem habet à natura rationali ut *rationali* vim ad regulandos actus

morales, quatenus habet intellectum agentem, per quem producitur habitus synderesis: ergo etiam oportet, quod voluntas dimanet à natura completa, ut possit attingere bonum morale saltem proprii suppositi. Neque satis est, ad hoc, quod residet in intellectu lumen synderesis, ut voluntas media illius cognitione possit moveri ad actus honestos proprii suppositi: quia sicut prudentia cum eius comitibus supponit appetitum rectificatum in ordine ad fines vitæ humanæ, ut sapè docet D. Thomas; ita iudicium rectum synderesis debet supponere voluntatem rectificatam in ordine ad bonum proprium honestum; aliàs iudicium illius non esset immobilis: quia immobilitas iudicij ex recta dispositione affectus dependet, iuxta illud *Vnusquisque iudicat, secundum quod est affectus*. Quæ doctrina desumitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 47. art. 5.

Observa tertio, totam difficultatem, quam habet voluntas ad prosequendum bonum proprium, oriri tantum ex passionibus appetitus, quæ si competantur per virtutes in eo residentes, facile prorumpit voluntas in actus virtuosos boni proprii.

10 **H**inc reductur ad formam ratio Div. Thomæ: Nam nulla potentia indiget habitu virtutis ad attingendum obiectum, in quod ipsa naturaliter inclinatur, estque proportionata & completa; sed voluntas est proportionata à natura in bonum morale proprii suppositi, in illudque inclinatur: ergo voluntas non indiget habitu virtutis ad prosequendum bonum morale proprii suppositi. Maior supponitur ex dictis disp. præf. Et minor probatur ex proxime dictis: Tum, quia voluntas per se & ratione sui non habet difficultatem ad bonum proprii suppositi, sed tota difficultas residet in appetitu ratione passionum: ergo est proportionata à natura relatè ad bonum proprium. Tum etiam: nam ratione virtualitatis, quam natura in voluntatem à principio derivat, completur, & elevatur ad attingendum prædictum bonum: ergo idem, quod prius.

## §. II.

*Argumenta sententia contrariæ.*

11 **A**rguitur primò: Voluntas non est magis proportionata, & inclinata ad prosequendum bonum morale, quam intellectus ad illud proponendum, cum nec voluntas absque propositione boni possit illud diligere, nec intellectus sit potentia imperfectior voluntate; sed intellectus nequit prædicere proponere voluntati bonum morale, nisi per synderesim, quæ est proprie habitus: ergo nec voluntas potest illud diligere absque virtute, vel absque aliquo superaddito, & æquivalente virtuti,

*Paul. Theol. Salm. Tom. II.*

Nec refert, si respondeas ex Div. Thomæ quæst. vñca de Virtut. art. 5. ad 3. intellectum possibilem (qui solus est receptivus virtutum) & in diligere speciebus, quæ debent decursu temporis ministerio sensuum acquiri, & habere supra se intellectum agentem, per quem potest confortari, & illuminari, cuius intellectus iuvamen adest ei, quando species: unde est id virtutem non exeat rectificatus, redditur tamen debito tempore, quia natura non deficit in necessarijs, nec concedit superflua. At voluntas cum aliter in operatione procedat, nec habeat voluntatem agentem superiorem, fortitur à principio debitam proportionem, & elevationem in ordine ad bonum saltem proprii suppositi.

12 **N**on (inquam) refert; Nam ex eo ad minus deducitur, voluntatem à principio suæ productionis habere in ordine ad bonum proprium proportionabiliter, quod intellectus possibilem decursu temporis per speciem acquisitionem, & illuminationem intellectus agentis; sed hoc est in intellectu aliquis habitus strictè dictus: ergo similiter voluntas recipit aliquam virtutem strictè talem. ¶ Et confirmatur primò: Nam sicut intellectus possibilem actuatur ab agente sibi superiori, ita poterit ipse, utpote voluntate superior, eam decursu temporis actuare: ergo etiam potest expedare virtutum acquisitionem in ordine ad bonum proprium.

Confirmatur secundò: Nam nos iam concedimus aliquam rectitudinem voluntati superadditam, cuius distinctio aliquis satis suadet ex eo, quod collocatur in prima specie qualitatis, & voluntas in secunda; sed hoc ipso nihil ei deficit, ut sit virtus, sicut nec rectitudini intellectus circa prima principia: ergo. *Addè*: Nam nec in nostra ratione, nec in præfata solutione satis explicatur, cur à principio sit rectificata ad bonum proprium, & non ad alienum.

13 **A**rgumento respondetur approbando solutionem inter arguendum adhibitam, quæ optima est, utpote D. Thomæ: Nec eam labefactat impugratio, maxime stando doctrinæ, quam valde probabiliter censent N. Salmant. in præf. num. 41. videlicet, virtualitatem illam, quam natura à principio in voluntatem derivat, non distingui realiter ab ea, estò vis ab intellectu agente in possibilem derivata sit ab eo realiter distincta. Cuius disparitatis ratio desumitur ex doctrina D. Thomæ supra tradita, nempe, quod intellectus est receptivus specierum, ad quas ordinandas, & penetrandas non sufficit quilibet virtualitas cum intellectu identificata, sed requiritur vis ab intellectu agente proveniens decursu temporis, ac proinde omnino accidentaliter communicata, cui nihil deficit, ut sit habitus strictè dictus. Voluntas verò non indiget speciebus, & hac ratione non potitur voluntas agens: hoc semel supposito, necesse est, quod vim ad attingendum bonum morale pro-

Xxx 2

primum

primum participet à principio, quod est contra rationem virtutis. Quæ discriminis ratio etiam vrget, estò concedamus cum præfatis Authoribus, prædictam vigorositatem distingui realiter à voluntate, vt ex se liquet. *Maximè*: Quia, vt inquit D. Thomas infra q. 63, art. 1. & art. 2. ad 3. realitas illa est quid aliis virtutibus, & velut earundem seminarium: vnde ex hoc capite nequit nomine virtutis insigniri. ¶ Ad primam confirmationem satis constat ex dictis num. 9. Non minus constat ad secundam ex proximè dictis.

Ad additamentum respondetur ex dictis num. 7. quod voluntas ratione suæ differentie individualis est determinata ad bonum proprium & hac ratione habet non leuem difficultatem ad attingendam bonum alienum sine detrimento boni proprii, ad quam superandam ponitur virtus iustitiæ. Quæ simul præbet duo munera, primum, & principale est elevare potentiam circa bonum alienum, ne vincatur à bono proprio, & illud non prosequatur, dum oportet secundum & quasi indirectum est refrænare inclinationem ad bonum proprium, non absolute, sed quatenus potest impedire alienum.

14. Arguitur secundò: Nam voluntas est indifferens ad bonum, & ad malum proprii suppositi: ergo in ordine ad bonum proprium necessaria est virtus in voluntate. Pater consequentia: nam in omni potentia indifferenti ad bonum, & ad malum necessaria est virtus, vt perfectatur, & determinetur ad bonum. ¶ Et confirmatur: Nam habitus virtutis ibi debet peculiariter inveniri, vbi est specialis difficultas; sed voluntas frequenter patitur difficultatem in prosecutione boni proprii honesti ergo.

Ad argumentum respondetur, quod adhuc supposito habitu virtutis in potentia, esset, & est indifferens ad bonum, & ad malum: quia virtus non tollit intrinsecam indifferenciam, sicut nec defæcibilitatem intrinsecam, sed tantum tribuit facilitatem & promptitudinem ad actus virtuosos, quam voluntas habet etiam per vigorositatem acceptam in principio, seu per diuinationem à natura in ordine ad bonum proprium suppositi, quin opus sit sibi acquirere virtutes decursa temporis, quæ præsentent ei prædictam facilitatem.

Ad confirmationem respondetur, quod virtus moralis tantum est necessaria in potentia, quæ ex se, & ab intrinseco habet difficultatem obiectivam, seu formalem, secus verò si difficultas provenit ab extrinseco. Hoc autem posteriori modo se habet voluntas relatè ad bonum proprii suppositi, quia tota difficultas oritur ex passionibus residentibus in appetitu, quæ fit vincatur per virtutes in eo subiectatis, nulla remanet ex parte voluntatis, vt ab initio rectificata.

15. Arguitur tertio: Nam per actus vicio-

fos elicitos à voluntate circa bonum proprium nequit non generari in ea aliquod vitium: ergo etiam per actus virtuosos generatur aliqua virtus in ea. Antecedens videtur certum: quia à natura non habet aliud, per quod illos actus exerceat. Consequentia verò probatur: Tum quia contrariorum eadem est ratio. Tum etiam: quia potentia, quæ est capax vitij, etiam est receptiva virtutis circa idem obiectum materiale. Tum denique: quia vitium minuit virtutem oppositam.

Ad hoc argumentum responderi potest primò, permittendo antecedens; & negando consequentiam: Quia, vt docet D. Thomas 2.2. quæst. 144. art. 1. potest quam optimè in aliqua potentia inveniri vitium, quin habeat virtutem propriè talem illi contrariam: quia rectitudinè requisitè ad actus virtutis plura possunt obitare, vt habeat rationem virtutis, nempe, quod sit quid aliis virtute, vt diximus num. 13. de rectitudine residentè à principio in voluntate in ordine ad bonum proprium: & quod desit ei aliqua ex perfectionibus requisitis ad strictam virtutem, quia magis requiritur ad bonum, quam ad malum; iuxta illud, *Bonum ex integra causa; & malum ex quocunque defectu*. Nec ob hoc non sunt propriè contraria: quia sicut ad verum contrarietatem, quod sub eodem genere remoto mutuo se expellant.

Respondetur secundò, negando antecedens: Quia si actus in obiectione recensiti generarent vitium, hoc posset ita intendi, vt destrueret vigorositatem, quam natura voluntati conferre relatè ad bonum proprii suppositi, & ex consequenti habitum synderesis, quia ex prædicta rectitudine essentialiter dependet, vt vidimus num. 9. cuius oppositum docet D. Thomas quæst. 16. de Verit. art. 3. vbi probat, hunc habitum non posse corrumpi; quia est terminus illuminationis intellectus agentis, qui quamdiu manet, illuminare non desinit, estò pluries tamen ipse, quam synderesis cessent ab exercitio ob extrinsecam impedimenta. Et generaliter de quolibet habitu principiorum id ipsum tradit D. Thomas supra quæst. 53. artic. 1. Ex quibus liquido constat, actus pravos in argumento recensitos nullum habitum vitiosum generare.

16. Vltimò arguitur aliquibus instantijs, quibus suadet, virtutes versantes circa bonum proprium residere in voluntate. Nam humilitas versatur circa bonum proprium, cum ordinetur ad compescendum appetitum propriè excellentiæ; sed hæc recipitur in voluntate, vt ait Div. Thomas 2.2. quæst. 161. artic. 3. & manifestè apparet in Angelis: ergo. Item studiositas ordinatur ad moderandum appetitum cognitionis tam sensitivæ, quam intellectivæ, ideoque versatur etiam circa bonum proprium; & tamen recipitur in voluntate, vt innuit D. Thomas 2.2. quæst. 166. & seq. ergo. Deinde liberalitas, &

mag-

18. **D**icendum, est in appetitu sensitivo esse habitus, qui verè & propriè sunt virtutes. Ita Philosph. 3. Ethic. cap. 10. vbi ait, virtutem temperantiæ, & fortitudinis esse in parte irrationali hominis, hoc est, in appetitu sensitivo, vt omnes ferè interpretantur; cum intellectus, & voluntas sint partes, seu potentie rationales; constat temperantiæ, & fortitudinem esse strictè virtutes, vt omnes fatentur: ergo ex mente Arist. appetitus sensitivus est subiectum virtutis propriè talis.

Et probatur ratione fundamentali proposita sub hac forma: Nam in appetitu sensitivo hominis verè, & propriè dantur habitus; sed huiusmodi nequeunt non esse virtutes strictè: ergo appetitus sensitivus est subiectum virtutis strictè talis. Maior, quam frequenter docent etiam Adversarii, non est difficilis probationis; siquidem illæ hominis potentie sunt habituum receptivæ, quæ non sunt ad vnum determinatè ex instinctu naturæ, sed possunt esse motione superioris flexi ad diversa (vel assignent Adversarii quid aliud esse, vel prærequiri ad receptionem habituum) sed appetitus sensitivus hominis, ipsa experientia testante, non est determinatus ad vnum, sed potest affluere per motionem voluntatis, & rationis: ergo est receptivus habituum.

### DUBIUM III.

Utrum appetitus corporeus sit subiectum virtutis moralis?

17. **N**otant communiter Interpretes D. Thomæ in præf. appetitum sensitivum posse in homine bifariam sumi, vel secundum se, quo pacto quid commune est homini, & bruto: vel prout in homine aliquod rationis, & libertatis ex potentijs superioribus participat; quam duplicem considerationem subeunt sensus interni hominis. ¶ Supponimus vt persè notum iuxta priorem considerationem appetitum sensitivum nullius virtutis, seu habitus esse subiectum; cum sit homini, & brutis communis. Vnde restringitur præfens difficultas ad secundam considerationem, & ad potentias appetitivas, v. g. ad concupiscibilem, & irascibilem; quarum naturam, & distinctionem declaratam reperies apud N. Complut. abbrev. de Anima disp. 21. quæst. 1. & 2. Quid verò sentiendum sit circa sensus externos, ex parte constat ex D. Thoma in præf. art. 5. & infra occasione argumentorum explicabitur.

Duplex opposita versatur sententia. Prima asserit, appetitum sensitivum non esse subiectum virtutis moralis. Ita Div. Bonav. Scotus locis relatis, n. 7. & alij cum discrimine ibi relato. *Secunda* docet, esse subiectum propriè, & strictè virtutis. Ita D. Thomas in præf. art. 4. quem sequuntur omnes eius discipuli, & plures extranei.



Deinde probatur minor: Tum, quia ad rationem virtutis tria requiruntur, videlicet, quod habitus ortum ducat à potentia superiori, quod moderetur, seu subijciat effectivè rationi actus proprii subiecti, & tandem quod in eo consummatur; sed omnia hæc cerere licet in habitibus receptis in appetitu sensitivo: ergo habitus recepti in appetitu sensitivo sunt propriè & strictè virtutes. Minor probatur quoad singulas partes. Et quoad primam: nam eo ipso, quod sit subiectum habitus, natus est obedire intellectui, & voluntati, ab eisque aliquod rationis participare; sed hæc potentie funt superiores appetitu sensitivo: ergo habitus existentes in appetitu sensitivo ortum ducunt à potentia superiori. Quoad secundam etiam probatur; nam etiam Adversarii fatentur, quod appetitus sensitivus est elicivus plurium actuum rationi conformium; ergo habitus in eo recepti ad hoc ponuntur, vt illum moderentur, & subijciant rationi eius actus. Quoad tertiam, & vltimam, ad quam tantum reduci valet totum pondus difficultatis, suadet: Nam habitus tendens ad moderandas passiones in illa potentia consummatur, vbi sunt ipsæ passiones, & vbi ipsæ passiones ratione illius ad medium rationis reducuntur; sed habitus boni in appetitu sensitivo

recepti ordinantur ad moderandas passionis illius, & subiiciendas rationi: ergo habent plenam consummationem in illo.

Tum etiam: nam habitus elicitor actus virtuosus, & in appetitu sensitivo recepto conveniunt omnes definitiones virtutis strictè talis: ergo sunt verè virtutes. Antecedens probatur: nam est *dispositio perfecti ad optimum*. Quia non solum est dispositio ad actum ipsius appetitus, qui est finis ipsius appetitus, sed etiam est dispositio ad actum rationi consonum, & qui est absolute finis ipsius habitus; quod est idem, ac esse dispositionem ad optimum. Et etiam *habitus in mediocritate consistens, prout sapiens determinaverit*. Nam per eos à prudentia regulatos cohibetur appetitus, ne probatur in extrema virtuositas. Tandem (vt omitamus alias) est *bona qualitas* (seu habitus) *mentis, qua rectè vivitur, qua nullus male utitur*. Quia est principium actus virtuosus, in potentia rationis participante (per mentis intellecta) subiectatus; quo rectè vivitur, ob rationem proximè datam; & nullus male utitur, quia est participatio rationis, seu prudentia: conveniunt ergo omnes definitiones virtutis strictè dictæ.

19. Et confirmatur, & magis explicatur prædicta ratio: Nam non possunt negari habitus, qui sint verè virtutes, ad moderandas passionis, illasque subiiciendas rationi; sed hæc virtutes non recipiuntur in voluntate, aut membris externis: ergo recipiuntur in appetitu sensitivo. Minor quoad secundam partem, vt potèst facilioris probationis, suadet: nam membra externa sunt omnino determinata ad unum, & propterea non sunt subiecta habituum, vt latè ostendimus tract. præced. disp. 1. dub. ultimo, ergo prædicti habitus non sunt in membris externis. Quoad primam probatur: Tum, quia voluntas non indiget virtute ad bonum proprii suppositi, putà ad appetendum cibum iuxta regulam rationis, vt diximus dub. præced. ergo temperantia (v. g.) quæ ordinatur ad moderandas passionis concupiscibilis, non recipitur in voluntate. Tum etiam: nam actiones intellectus, & voluntatis regulariter conformantur cum appetitu, quod idem est, ac ordinari ad actus ipsius appetitus: ergo consummatio illorum non sinitur in intellectu, & voluntate, sed in ipso appetitu, in quo resident passionis: ergo virtutes, quæ moderantur passionis, illasque subiiciunt rationi, non subiectantur in voluntate, sed in appetitu. Vnde provenit, quod si appetitus fuerit rectificatus per virtutes, intellectus, & voluntas, non aliter intelliget, & diliget, nisi prout ipse virtutes in appetitu receptæ determinant.

\*\*\* \*\*

*Opposita sententiæ argumenta.*

20. **A**dversus nostram sententiam arguitur primo: Nam habitus, qui iuxta doctrinam D. Thomæ in præf. art. 5. ponuntur in sensibus internis derivari ex potentij superioribus, non sunt verè virtutes, vt ibi docet Angelicus Magister: ergo similiter, quamvis appetitui sensitivo concedantur habitus, non erunt simpliciter virtutes. ¶ Nec refert, si dicas cum eodem Angelico Magistro esse de ratione virtutis consummari in potentia, vbi existit. Quod sanè event habitibus in appetitu sensitivo receptis; siquidem in actibus illius consistit ultimatè ordo rationis, vt videre est in temperantia, & fortitudine. Oppositum autem accidit sensibus internis, qui tantum sunt in homine vires preparatorie, & viales ad cognitionem, & volitionem, vbi ordo rationis consistit.

Non (inquam) refert: Quia sicut actus sensus interni excitat, & ordinatur ad cognitionem intellectivam; sic actus appetitus sensitivi ordinatur ad volitionem, quia sicut cognitio incipit in sensu, & terminatur in intellectu, ita voluntarium potest incipere in appetitu, & terminari in voluntate: ergo ordo rationis non sinitur in appetitu, sed in voluntate.

Argumento respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam, ob rationem disparitatis inter arguendum insinuatam. Cui non officit impugnatio adhibita: nam gratia concessa cum N. Salmant. in Comment. ad dictum art. habitus sensuum esse proprie & rigorose tales (quod aliqui immeritò negant interpretantes D. Thomam de illis contorniter ad habitus, quos quæst. 50. art. 3. ad 2. brutis concedit) negamus tamen, habitus appetitus sensitivi in ipso non compleri, sed ordinari ad actum alterius potentie; concedentes simul, habitus in sensibus internis receptos ad actum alterius potentie, nempe, intellectus, ordinari. Pro cuius disparitate, nota, passionis appetitus dupliciter posse se habere ad rationem, & ad voluntatem; vel antecedenter trahendo excitatione sua intellectum, & voluntatem; & secundum hunc actum appetitus non exercet actum virtutis, nec est subiectum illius, imò nec peccati, nisi ad summum venialis. Vel consequenter, quatenus voluntas incipit movere, & terminatur completurque motus in appetitu sensitivo, vt quando quis eligit rectè ita, fortè esse, experiri delectationes, vel quid similes: iuxta quam acceptionem, sub qua nos procedimus, appetitus est proprie subiectum virtutis, quia in eo, vt constat, sinitur & completur opus virtuosum. Sensus verò interni solum habent

pri-

primo modo excitare rationem; ac proinde eorum habitus deficient à ratione virtutis.

21. Si verò inquiras, quare non possumus philosophari in eis, sicut in appetitu, itaut voluntas eligat *imaginari*, sicut eligit *concupiscere*; & tunc talis imaginatio erit virtutis actus, sicut est bene concupiscere? ¶ Respondetur, quod si *imaginari* sumatur obiectivè, quo pacto sæpè poterit ad voluntatem eligi, nulli dubium est posse esse materiam virtutis, non quidem existentis in ipsa imaginatione, sed in voluntate eligente. At si sumatur subiectivè, quo sensu procedit replica, estò forte, vt est sub actuali voluntatis imperio possit esse peccatum mortale, non verò actus virtutis. Et ratio est, quam tradunt N. Salmant. tract. 13. disp. 10. num. 11. quia huiusmodi actiones, quamvis magis reflectantur, solum possunt esse bonum, quatenus induant cognitionem bonam, & rectum iudicium; nam imaginari obiectum nec est bonum, nec malum, si ibi sinitur: vnde semper dicitur ordinem ad vteriozem actum intellectus. Oppositum event in appetitu sensitivo, qui semel motus non semper vltra progreditur; ideoque potest esse subiectum virtutis.

22. Arguitur *secundò*: Nam de ratione virtutis est esse habitum electivum: ergo in illa potentia est virtus, cuius est proprius actus electionis; sed eligere pertinet ad voluntatem, & non ad appetitum: ergo virtus non debet residere in appetitu sensitivo, sed in voluntate. ¶ Confirmatur *primò*: Nam virtus solum habet locum in ea potentia, quæ actionem suam habet in sua potestate, sed appetitus sensitivus non habet in sua potestate actionem suam, vt liquet in brutis: ergo. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam de ratione virtutis est, vt inclinè ad bonum honestum propter seipsum, hoc est, propter ipsam honestatem; sed appetitus sensitivus nequit ferri in bonum honestum propter ipsam honestatem; quia bonum honestum, id est, bonum rationis, ex extra latitudinem sui obiecti adæquati: ergo.

Ad argumentum respondetur, notantes cum N. Salmant. in præsent. num. 10. duplicem electionem esse necessariam ad quemlibet actum virtuosum appetitus sensitivi: primam voluntatis, quæ inchoat opes: secundam appetitus, in qua consummatur, quæ est effectus, & quoad plura participatio illius prioris. Quando autem asseritur, actus virtutum esse electiones, intelligi debet vel de originantibus, & primis, si ibi sinitur opus virtuosum; vel de secundis, si in appetitu sensitivo (qui connotans motionem, & electionem voluntatis, primò & persè eligit, et si participativè) opus virtuosum completur. Pro quo vide D. Thomam in 3. dist. 33. quæst. 2. art. 4. quæstion. 1. ad 2. argumentum. ¶ Per quod constat ad primam confirmatio-

nem: nam licet appetitus sensitivus, prout excludit omne participium rationis & libertatis, nequeat suam actionem in sua potestate habere, bene verò prout est participans & capax libertatis, & rationis; in quo sensu procedit dubium.

Ad *secundam* respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Cuius ibi inclusa probatio non urget: quia datur duplex bonum rationis; aliud primarium sive principale, quod petit a potentia spiritali attingi: aliud verò corporeum & minus principale ex priori participatum, & hoc est obiectum appetitus sensitivi. Vnde hic non extrahitur extra proprium obiectum, cum operatur virtuosè; quia operatur vt motus à potentia superiori elevante. Sicut videre est in libertate ad virtutem, sive virtutum requisita; quæ estò non conveniat appetitui secundam se, neque similiter hic, prout est in homine, plene habitualiter libertatem participet, nisi ad summum deficienter; tamen, dum est sub voluntatis motione, eam complete participat. Sic discurrendum est de bono rationis, quod sanè non est absolute extra obiectum appetitus moti à voluntate.

23. Arguitur *ultimo* (& erit replica contra proximè dicta) Potentia operans virtuosè debet regulari à prudentia, vt attingat bonum vnde quaque perfectum, hoc est, cum omnibus circumstantijs obiectum virtutis afficientibus; sed huiusmodi nequit esse appetitus: ergo nequit esse subiectum virtutis. Maior debet supponi. Et probatur minor: Tum, quia cognitio immediate appetitum regulans est cognitio sensuum interiorum: ergo non est cognitio prudentiæ, quæ solum in intellectu residet. Tum etiam: nam cognitio regulans actum virtuosum debet attendere omnes circumstantias actus, & illas obiectivè potentie proponere; sed nulla cognitio sensus est potens eas intimare appetitui, quia tantum potest proponere aliquid bonum limitatum, in quo non clauditur obiectum, finis, duratio, & similibus circumstantiis: ergo idem quod prius.

Respondetur distinguendo maiorem: *Debet regulari à prudentia* mediata, vel immediate, concedo maiorem; precise immediate, nego maiorem. Et negatur minor. Cuius prima probatio facile dispellitur, si dicas, quod estò sensus internus immediate appetitum regulet (sanè ex elevatione & motione prudentiæ) non excluditur, quod simul cognitio prudentie in intellectu residens, & omnes circumstantias prospiciens regulet illum mediata, quæ, vt potèst eiusdem subpositi, est omnium virtum appetitivarum absolute directiva. Per quod constat ad *secundam*.

\*\*\* \*\*